

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:  
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam  
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius  
notitiam, informatio**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

Dominica XIV. post trinitatis

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

reliquit, *verbum* nimir, & *sacramenta*, quibus ad terrorem impenitentium, & consolationem fidelium & corde contritorum uti debent. Id quoq; fideliter remuneratum se promisit, Pl. 61, 6. Hinc ipse ait: Electi mei non laborabunt frustra, Ef. 65, 23. Et Christus ait: Merces vestra copiosa erit in cœlis, Matth. 5, v. 12.

Nos gratias Deo agere debemus, pro spirituali hâc animæ curatione, & honorare medicum conveniētibus donariis, Sir. 38, 1.

studentes, ne recidivam patiamur. Ecce, sanus factus es: jam noli peccare, ne deterius tibi quid contingat, Joh. 5, 10.

Hoc nobis dictum putemus. Postquam enim effugerunt coinquinationes mundi, in cognitione Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, & c. 2. Petr. 2 v. 20.

Rogamus cœlestem Samaritanum nostrum, ut nos ab omni infirmitate liberet, & in restitutâ sanctitate conservare dignetur, Amen.

## Dominica XIV. post Trinitatis.

*Evangelium Luc. 17. v. 11. --- 19.*

EXORDIUM.

**P**rescripsit Deus olim Israëlitis peculiarem ritû, mundandi & expiandi leprosos. Nempè, qui purificabatur, duas aves mundas, quibus Israëlitis vesci licuit, afferre tenebatur, unam immolandam in vase fictili, super aquas viventes: aliam autem vivam, cum ligno cedrino, & cocco, & hyssopo, tingendam in sanguine passeris immolati; quo adspargere oportuit eum, qui mundandus erat septies. Quando hoc ita factum erat, dimittenda erat avis viva, ut avolaret in agrum. Quò indicatû fuit, hominem leprosum, nunc perfectè liberatum, hominem commercio frui posse, Lev. 14, v. 1, seqq.

In prælecto Evangelio, Servatorem decem Leprosos simul mundasse audimus, sed non adhibitis ceremoniis illis, quæ in V. T. usitatae fuerunt. Ille enim jam præsens aderat, quem ceremoniæ hæc præfigurarunt, ratione spiritualis purgationis peccatorum nostrorum, quam facturus erat per seipsum Hebr. 1, v. 3.

Nos omnes spirituali peccatorum leprâ

infecti sumus. Nemo dicere poterit: Mundum est cor meum, purus sum à peccato? Prov. 20, v. 9. Omne enim figmentum cogitationum cordis nostri tantummodo malû est, omnibus diebus, Gen. 6, 5, c. 8, 21.

Sed per Christum restituti sumus, qui languores nostros tulit, & dolores nostros portavit, ut livore ejus sanati simus, Ef. 5, 3, 5.

Id Deus adumbrare voluit per *aves mundas*, quas leprosi ad mundationem suam afferre tenebantur.

Altera, quæ immolata fuit, significat crucentum illud Christi sacrificium, quod velut agnus immaculatus præstitit pro peccatis totius mundi, 1. Joh. 2, 2.

Altera, quæ dimissa fuit, significat liberationem animæ, quæ sanguine Christi purificata, viva in cœlum avolat, ad spiritus iustorum perfectorum, Heb. 12, 23, & ita particeps fit in partem fortis sanctorum, in lamine, Col. 1, 12.

Flabrum verò quod Sacerdoti conficiendum fuit, ex ligno cedrino, & cocco & hyssopo, imago est sacri Ministerii, per quod

T t

Spi-

Spiritus S. efficax est, & sanguine Christi nos conspergit per verbum & sacramenta, 1. Petr. I. v. 2.

Quoniam igitur Servator noster, in ultimo itinere Hierosolymitano versabatur, per sanguinem suum, humanum genus, de spiritali peccatorum leprâ purificaturus: In viâ decem leprofos corporaliter mundavit, & hoc ipso quasi præambulum fecit, spiritalis emundationis, quam perfecturus erat in arâ crucis, eaq; consummaturus in æternum eos, qui sanctificantur, Heb. 10, 14. Propterea omittit usitatas V. T. ceremonias; Neque enim avium, taurorum & vitulorum sanguine ulterius opus est: sed sanguis Jesu Christi, Filii Dei emundat nos ab omni peccato, 1. Joh. 1. v. 7.

Nos absq; ulteriori præloquio ad ipsam Evangelii meditationem nos conferemus, tractaturi ex eodem:

I. *Αὐτῶσολογία*, sive *notitiam nostri*.

II. *Χριστολογία*, sive *notitiam Christi*.

J. J.

### Exegesis.

Quemadmodum Decus in V. T. decimas sibi vendicaverat, de frugibus, musto & oleo, Levit. 27, 30. sed conqueritur, quod non bonâ fide sibi offerantur, Mal. 1, 8. 14. sic & idem Christus Servator in prælecto Evangelio expertus est, quod quidē de decē leprosis, quos sanaverat, decimas suas accepit. Unus n. ex illis, ut vidit, quia mundatus est, regressus, cum magnâ voce glorificavit Deum. Et hic erat Samaritanus. Cujus ordo aliâs non usq; ad eò commendatur. Ideò quærit & queritur Christus: Novem a. ubi?

Nos hinc ansam capimus, ad *notitiam nostri* perveniendi, quando intuemur:

1. *Leproforum conditionem*, quorum non unus & alter, sed decò unâ vice Christo obviarunt, sicut hic morbus Judæis vel maxi-

mè familiaris fuit, procul dubio ex singulari Dei dispensatione. Quia n. Judæi peculium ejus erant, hoc ipso eisdem compescere voluit. Ideò Autor libri II. Maccabæorū, qui & ipse haud dubiè Judæus fuit, ait: Multo tempore non sinere peccatoribus ex sententiâ agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium, 2. Maec. 6, 14. 15.

Apud nos leproforum non multi visuntur, præter paucos aliquot, qui in nosocomiis habitant: Verum è contrario spiritalis peccatorum lepra eò plus invaluit. Non est enim, qui faciat bonum, non est usq; ad unum, Rom. 3, 12. Omnes n. in peccatis concipimur & nascimur, peccaminosi liberi à peccaminosis parentibus, Pl. 51, 7. quis igitur dare potest mundum, de immundo conceptum semine? Job. 14, 4.

Moses tres lepræ species recenset, quæ Israëlitis familiares fuerunt. Fuit enim

1. *Lepra membrorum*, quæ totum hominem inficit, & à parentibus in liberos propagatur. Sic comparatum est cū peccato, ut Ecclesia canit:

Per lapsum Adæ corruptio  
In posteros perrexit:  
Hæc nostra nunc possessio,  
Medela nulla venit,  
Dei sine  
Solamine,  
Qui labe liberavit  
Qua perditam  
Serpens Evam  
Itæ Dei implicavit.

Durch Adams Fall ist ganz verderbt /  
Menschlich Natur und Wesen:  
Dasselb Gift ist auff uns geerbt /  
Dass wir nicht konten genesen /  
Ohn Gottes Trost /  
Der uns erlöst  
Hat von dem grossen Schaden /

Das

Darein die Schlang  
Evam bezwang/  
Gotts Zorn auff sich zu laden.

2. *Lepra vestimentorum*, quo ipso adumbrata fuit hypocrisis Pseudo- Christianorum, qui quidem lepram peccatorum suorum, pallio bonorum operum contegere satagunt, sed quanto plus palliare volunt, tanto magis illa serpit. Omnis enim justitia nostra est, velut pannus menstruatus, quæ peccatorum lepra coram Dei oculis non operiri potest, Esa. 64, 6.

3. *Lepra domorum*, hæc imago est pravorum exemplorum, verborum & operum, quibus subinde unus maleferiatus, totâ aliquam civitatē aut pagum inficit, ut circumquaq; impii obambulent, Ps. 12. v. ult.

*Hic velim scrutaris te, mi Christiane! utrum & ipse spiritali peccatorum lepra obnoxius sis?*

Non est dubium, quin triplex illa lepra ante indicata, inter nos quoq; grassetur. Quod enim lepram membrorum attinet, illam comitatur:

1. *Cutis tumor*, hæc est superbia, quæ hominem inflat, ut ultra conditionem suam se extollat, dicens: Ego sum, & extra me, non est alius amplius, Zeph. 2. v. ult. hæc spiritalis lepra est, quæ homo gratiâ Dei & æternâ salute excidit. Abominatio Domini est omnis arrogans, Prov. 16, 5.

2. *Oris factor*, hæc luxuria est in verbis & operibus, quæ filii hujus se filios spiritus immundi esse, produnt, Luc. 11, 24. ca factor est coram Deo, qui pura & casta essentia est. Et omnis qui spem habet ad eum perveniendi, sanctificat se, sicut & ille sanctus est, 1. Joh. 1, 3. Matth. 5, 8.

Sicut igitur leprosi in V. T. os contegere veste tenebatur, Lev. 13, 45. ita & nos dare ori nostro custodiâ debemus, Sir. 23, 33. ne tur-

pitudo aut stultiloquium aut scurrilitas in ore nostro versetur, Eph. 5, 4. 1. Cor. 15, 33.

3. *Pruriginis ardor cum siti conjunctus*, hic avaritia est. *Avarus enim* non implebitur pecunia, Eccl. 5, 9. Sed ut prurimum tandem dolor consequitur: sic divites parum gaudii capiunt ex opibus, sed ex improvise eas relinquere coguntur, Jer. 17, 11. aut non audet sibi de opibus benefacere, & hæc redditio est malitiæ illius, Sir. 14, 6. Hæc spiritalis lepra est radix omnium malorum, 1. Tim. 6, 10.

4. *Internus calor*, qui cor infestans sanguinem inflammat. Hæc iracundia est, quæ in ira stulti requiescit, Eccl. 7, 10. nec justitiam Dei operatur, Jac. 1, 20. adeoq; e regno cælorum excludit, Gal. 5, 20. 21.

5. *Diversus color*. Exterius enim cutis in leprosis albicat, interius verò nigricat, hæc invidia est; qui enim hoc vitio laborant, exterius humanitatem simulant, intrinsecus v. pleni malitiæ sunt. Hinc Salomo: Ne comedas cum homine invido, Prov. 23, 6. 7. Et hæc spiritalis lepra est, ubi enim zelus & contentio, ibi confusio, Jac. 3, v. 16.

6. *Animi torpor*. Tale impiorum ingenium est, qui semper pœnitentiam differunt de die in diem, Sir. 5, 8. & tardi ad bonum, Hebr. 12, 1. Apoc. 3, 16. Et hæc spiritalis lepra est, fides enim, si non habeat opera, mortua est, Jac. 2, v. 17.

7. *Falsus rubor*, quem facies mentitur. Hæc est hypocrisis, quæ valdè familiaris est in hac mundi fece, plurimi enim speciem tantum habent pietatis, 2. Tim. 3, 5. dicentes ore: Domine, Domine, Matth. 7, 21. sed factis negant, Tit. 2, v. ult. Hæc itidem spiritalis lepra est, non enim veniet in conspectum ejus hypocrita, Hiob. 13, 16.

8. *Raucus clamor*, qui ingratitude est, vel maximè hodie vulgaris, de qua Deus graviter conqueritur, Jer. 5, 24. Et hæc spiritalis

lepra est. Non enim bene erit eleemosynas non compensanti, Sir. 12. v. 3.

2. *Lepra vestimentorum*, quibus superbiunt homines utriusq; sexus, præter modum & decorem: cum tamē Deus minetur, se visitaturum super omnes, qui induti sunt veste peregrinā, Zeph. 1. 8. Hanc lepram Deus in divite epulone flammā infernali punivit, Luc. 16, 13. & puniet in omnibus, qui in eā delectantur, Sir. 10, 16.

Genuini Christiani potius ad morem Judæorum vestes ejusmodi leprā contaminatas igne exurere, quàm adversus Deum peccare debent. Quid enim est corpus hominis nisi terra & cinis? Sir. 10, 13. qui verò benevolū Deum in cælo habet, in eo thesaurum invenit, Sir. 40, 18.

3. *Lepra domorum*, quæ plerumq; plenæ dolo sunt, sicut cavea plena avibus, Jer. 5, 27. Multi ædificant domum suam cum injustitia, & cœnacula sua non in iudicio, Jer. 22, 13. Hinc etiam tot lepræ maculæ inveniuntur, ut lapides de pariete clament, & laquear ligneum respondeat, Hab. 2, 11.

O quot maledictiones & imprecationes eructantur in quibusdam ædibus! quot vitia & flagitia in iisdem committuntur! Inveniuntur molles, qui peccant ut Onan, Gen. 38, 9. Sodomitæ & masculorum concubinatores, Gen. 19, 5. Scortatores & adulteri, Sir. 23, 26. Potentes ad bibendum vinum, Es. 5, 11, 12. Hinc Deus vastatores vocat, qui civitates succendunt igne, Es. 1, 7.

Fugiamus igitur spiritualem peccatorum lepram, ne corpus & animam præcipitemus in gehennam, Matth. 10, 28.

Et quia cum leprosis nemo facilè conversatur, ne contagioso hoc morbo inficiatur: sic & nostri erit officii, pravorum sodalium fugere, & cum bonis conversari. Ab impijs enim egredietur impietas, 1. Sam. 24,

15. Sed cum bono bonus eris, Psal. 18, 26.

II. *Christi compassionem*, quam declarat ergà leprosos.

1. *Intuendo*. Neq; enim ille lepræ contagio infici poterat. Sed veluti Sol lacunas lutulentas collustrat, nec tamen eò inquinatur: Sic Christus est sol justitiæ. Mal. 4, 2. amat animam nostram, Es. 38, 17. ubicunque sumus, oculi ejus respiciunt nos, Sir. 23, 8. & potens quoq; est eis, qui tentantur auxiliari, Heb. 2. v. ult. Ps. 38, 10.

2. *Alloquendo*. Audit enim preces eorum, quas corde devoto ad eum fundunt, & commiseratione motus, eosdem ad Sacerdotes ablegat, qui vi legis divinæ lepram dijudicare tenebantur. Sic adhuc hodie prope est invocantibus se, Ps. 85, 10. Es. 65, 24.

*Hic velim probe te, utrum erga infirmos tu quoque commiserationem tuam contestatus fueris?*

Hoc Magistratus æque ac subditi sibi dictum parent.

Magistratus quidem, ut nosocomia in esse suo conservet, iisq; qui leprā aut aliis morbis affecti sunt, necessarijs eleemosynis succurrat, ne causam habeant, inter sanos excurrere, iisq; ut & prægnantibus offendiculum struere.

In V. T. leprosos extra castra habitare oportuit, Lev. 13, 4. quin & procuratum fuit egenis, & infirmis, ut sine mendicando sustentati fuerint, Deut. 15, 4.

Tempore Christi ejusmodi valetudinarium fuit Bethsaida, quod quinq; porticus habuit. In his jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorū &c. Joh. 5, 2.

Postea Deus multos Reges, Principes, aliosq; beneficos excitavit, qui vitio corporis & morbo corporis laborantib. opulentos reditus constituerunt. Hic Magistratus officium requirit, ut provideat, quò eleemosynæ recte

næ recte administrentur, & indigentibus, præcipue vero domesticis fidei exhibeantur. Nam & hoc inter alia officium ejus concernit, ut pauperum fidelem curam gerat, sicut Jobus se patrem pauperum appellat, Job. 29. v. 16. Ne inopes conquerantur, quod in ministerio quotidiano despiciantur, Act. 6. v. 1. hoc enim grave peccatum est, quo Deus ut exurgat incitatur, Psalm. 12. vers. 6. quicquid enim pauperi incommodi infertur, id Christo ipsi fit, Matth. 25, 40.

Subditos vero & in genere omnes Christianos hoc concernit, quia omnes sanctorum necessitatibus communicare tenentur, Rom. 12, 13. Qui enim habuerit substantiam hujus mundi, &c. Joh. 3. v. 17.

Abdias præfectus Regius tulit Prophetas Domini, & abscondit eos quinquagenos in speluncis, & pavit eos pane & aqua, 1. Reg. 18. v. 4.

Carolus M. quotidie mensam mendicantium aluit, eosque proxime mensam suam assidentes habuit.

Placilla Imperatoris Theodosii conjux, pauperes in infirmitate non modo invisit: sed & discumbentibus instar ancillæ ministravit, & manibus suis patinas eorum mundavit.

Sic & nos pauperes & ægros serio studio adjuvare, nec cogitare debemus: Quid ille ad me? Quisquis enim ille sit, caro tua est, Esa. 58. vers. 7. Hinc Siracides, cap. 4. v. 5, 6.

Huc quoque spectant preces publicæ, quæ non ideo saltem fiunt, ut inopes & infirmos Deo precibus commendemus: sed & ideo, ut facultatibus nostris iisdem subveniamus.

Hoc Deus largiter remuneratum ibi.

Beatus, qui intelligit super egenum, Psalm. 41. v. 2.

III. *Samaritani reversionem.* Unus autem ex illis, ut vidit, quia mundatus est, regressus est, cum magna voce magnificans Deum, & cecidit in faciem ante pedes ejus, gratias agens ei. Et hic erat Samaritanus.

Sine dubio comites ejus novem, qui similiter mundati sunt, & imprimis Sacerdotes sedulo eum monuerunt, ne se à Nazareno seduci pateretur, quasi ille foret, qui à lepra se liberasset: sed existimaret potius, ideo mundatos esse, quia templum accedentes sacrificia sua juxta legem Mosaicam obtulerint, ut Lyra autumat, Sed hoc ipso non avertitur à Christo, verum in fide constans manet, quod à nemine, nisi Christo sanatus sit. Propterea, ut sacerdotibus se, juxta mandatum Christi, ostenderat, revertitur ad Christum, eique ad pedes pronus, gratias agit. Quod Servatori quoque tanto opere placuit; ut per amice ipsum exceptum alloquutus fuerit: Surge, vade: fides tua te salvum fecit.

*Hic examinate, mi Christiane! an & ipse Deo pro beneficiis, quibus te ornavit corporaliter & spiritualiter, ad exemplum hujus Samaritani debitas gratias egeris?*

Nos non minores, sed majores causas habemus, quam Samaritanus, ob quas Deo gratias litare debeamus: Idcirco non cessantes, dicamus cum Davide: Paratum cor meum Deo, paratum cor meum: cantabo. Psalm. 57. v. 8, 9, 10.

Samaritanus recordans pristina suæ conditionis, hoc ipso ad gratiarum actionem extimulatus est: Sic & tu revolve tecum mi Christiane! quis natura fueris, nempe, filius iræ, Eph. 2. v. 3. & quam misere inqui-

natus in sanguine tuo jacueris, Ezech. 16, 6. sed per baptismum te Christus mundavit, in lavacro verbi, Eph. 5, v. 26. qui jam non amplius filius iræ: sed filius Dei, hæres Dei & cohæres Christi es, Rom. 8, v. 16, 17.

Samaritanus reversus, nec multitudine sociorum retractus est: Sic, mi Christiane! si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis, Prov. 1, 10. Sed revertere in viam quando aberrasti. Errare enim humanum est, delicta quis intelligit? Psal. 19, 13. Non vero in errore præfracte perseverandum est, sed mature surgendum, si gratiam & remissionem peccatorum consequi velis. Revertere avertrix Israel! Jer. 3, v. 12, 13.

Samaritanus clara voce Christo gratias egit: Et tu cum Davide ingemina: Benedicam Dominum in omni tempore, Psal. 34, v. 2. Magnus enim est Dominus, & Deus noster præ omnibus Diis, Psal. 135, v. 5. David erat magnus Rex, & tamen tripudiabat totis viribus coram Domino, 2. Sam. 6, 14.

Sic & Imperator Henricus III. commendatur, quod Merseburgi cum conjugē suā ad pulpitem in templo Cathedrali consistens, cum reliquis Canonicis, sonora voce hymnos cecinerit.

Quinimo Angeli & Archangeli, Cherubim & Seraphim adsistunt throno Dei, alta voce ingeminantes Trifagion illud: Sanctus Sanctus, sanctus. Esa. 6, v. 3. Quidni & nos concinermus iis, cum filius Dei non angelos adsumserit. Heb. 2, v. 16. Hinc nos in gratiam assumpti sumus, ubi ex adverso angeli peccantes catenis noctis in tartarum detracti, cruciandi in judicium reservantur, 2. Pet. 2, v. 24.

Sed detestabilis ingratitude multorum est, ut Deus querelam Esaiæ haud injuria

reperere possit: Audite cæli, & auribus percipe terra! Esa. 1, v. 2, 3.

Hi bipedum ingratiissimi dedecori ecclesiæ ejus sunt, Deut. 32, v. 5. Ideoq; nunquam beneficiorum ejus oblivisci debemus. In omnibus gratias agite, 1. Thess. 5, v. 18.

### De Secundo,

**T**Ransibimus nunc ad alteram partem, *ἡμεῖς ὁρῶμεν* sive notitiam Domini nostri Jesu Christi, meditaturi. Hic nobis commendatur:

I. *Tanquam Magister salvandi venerabilis.* Ita compellant eum decem leprosi, dicentes: Jesu, præceptor, miserere nostri! In Græco est vox *ἐπιστάτης*, quæ significat præfectum, qui jus & potestatem habet imperandi. Alias *ῥαββί* sive Rabbi vocatur, quæ vox significat, Magistrum, Joh. 13, v. 13. Matth. 23, v. 8.

Quando igitur duo hæc nomina conjungimus, oritur inde Magister salvationum, in quo Theoria & praxis concurrunt. Si modo unum verbum loquitur, infirmitas abeat necesse est. Sap. 16, 12.

Hujus artis S. Evangelistæ egregia testimonia ipsi perhibent: quomodo cæcos videntes, claudos ambulantes, surdos audientes, mutos loquentes, imo mortuos redivivos fecerit. Item, quomodo verbulo paralyticum sanaverit, Matth. 9, 6. Mulierem sanguinis profluvio laborantem restituerit, Luc. 8, v. 44. Hydropicum curaverit, Luc. 14, v. 4. & non semel diabolos expulerit, Luc. 11, v. 14. Matth. 8, v. 4.

Inde facile colligere possumus, quod si tanta miracula in diebus carnis, in abjecta servi forma patrauerit: quanta nunc virtu-

te

te polleat, ad dexteram Dei patris exaltatus, super omnem principatum, & potestatem, Eph. 1. v. 21. 22.

Quinimo, nullæ angustix sunt tantæ, nulli morbi adeo desperati, ex quibus liberare non valeat.

Sic vindicat Regem Josaphat è periculo, 2. Chron. 20. v. 22. 23. Socios Danielis è fornace ardente, Act. 12. v. 8. Petrum è carcere, Act. 12. v. 8. Ægrotum ad Bethesdam è diuturniore morbo, Joh. 5. v. 4.

Noli itaque desperare in calamitatibus: sed per fugio magistri hujus salvationum utere, invoca eundem precibus devotis, inquitens; Jesu, præceptor mi, miserere mei! Et re ipsa experiere, quod neminem extrudat foras, qui venit ad se, Joh. 6. v. 37. & latibundus dicere poteris, cum Ambrosio: *Inveni medicum, qui in caelis habitat, & medicamenta spargit in terris: ipse solus potest curare vulnera mea, qui nescit sua.* Operatur enim salutem in medio terræ, Psal. 74, 12. creat de terra Medicinam, quæ in pharmacopolio præparatur, Sir. 38, 4. Si vero salutaris ægrotus esse debet, incrementum det necesse est, 1. Cor. 3, 7. propter quod & invocari vult, Sir. 37. v. 19.

Quin & quando mors appropinquat, naturæ debitum à nobis persolvendum postulans, ob peccata: tamen manet Magister salvationum, cujus manus non abbreviata est, El. 50, 2. & à morte quoque redimere valet, Pl. 68, 21. Sicuti die novissimo aperiet tumulos nostros, & educet nos, populum suum de sepulchris nostris, Ezech. 37. v. 12. ut vivamus in conspectu ejus, Hof. 6. v. 2.

II. *Tanquam ministerii fautor laudabilis.* Non enim propterea ad Sacerdotes mittit hos leprosos, ut mundarentur ab ipsis: mundabantur enim inter eundem: Sed partim

*respectu mandati.* Deus enim sacerdotibus de lepra judicare præceperat, & qui mundi pronunciarı volebant, ideo sacerdotibus se ostendere tenebantur, Luc. 13, 14. Partim *respectu miraculi*, ut Sacerdotes exinde agnoscerent, se esse promissum mundi Messiam, de quo prædictum erat, quod ejusmodi morbos curaturus esset, Esa. 35. v. 5. partim quoque *respectu sacrificii*, quod, illi, qui à lepra mundati erant ad Dominum perferre tenebantur, de quo & sacerdotibus quoque pars sua debebatur, quam & Christus ipsis subtrahere noluit, qui enim sacris operantur, quæ de sacrificio supersunt, edunt, 1. Cor. 9. v. 13.

Sic Christus hoc ipso obedientiam eorum probare vult, an legem Mosaicam reverenter habere, & Ecclesiæ statutis se subicere velint. Hæc obedientia Deo gratior est, quam victimæ, 1. Sam. 15, 22. & divite remuneratione potietur, Deus. 28. v. 1. seqq.

Adhuc hodie Christus eos, quos à spirituali peccatorum lepra curare vult, ad sacerdotes ablegat, qui pro Christo legatione funguntur, 2. Cor. 5. v. 20. & ab eo plenariam potestatem habent, peccata ligandi & solvendi, Joh. 40. v. 23. Sicut hujus rei in Saulo perspicuum exemplum habemus. Act. 9. v. 10. seqq.

Nos quoque ministerium verbi non despicere: sed sacerdotibus nos ostendere debemus, qui sunt loco Dei, Luc. 10, 16. quorum acta Deus rata jubet, Matth. 18. v. 18.

Hoc autem fieri debet:

1. *Templum frequentando.* Qui enim ex Deo est, verbum Dei audit, Joh. 8, 47. Hinc non exiguam voluptatem capiunt verbi ministri. Fratres mei charissimi & desideratissimi, gaudium meum, & corona  
mea



mea: sic state in Domino. Phil. 3. vers. 16. cap. 4. v. 1. Hoc ipso enim illi eo magis excitantur, ut officium suum molestiarum plenissimum, cum gaudio faciant, Heb. 13. vers. 17. quia sciunt, quod labor suus non inanis sit in Domino, 1. Cor. 15. vers. ult.

2. *Peccata revelando.* Sæpe contingit, ut huic vel illi conscientia sit anxia ob peccatum, quod forte commisit, ignorans, quomodo se extricare, & requiem animæ invenire possit. Hic optimum remedium est, ut ejusmodi homo ostendat se sacerdoti, per confessionem peccati, quod animum suum angit, sic eum Confessionarius verbi divini solatio reficiet, ut levamen accipiat. Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea. Psal. 32. v. 3-5.

Hoc sine quoque Confessio privata in Ecclesiis A. C. retinetur, ut peccator occasionem habeat, cordis sui dolorem in sinum verbi ministri effundendi: qui & secretum illum habere debet, utpote non sibi, sed Christo dictum.

Quicumque igitur hoc contemnunt, non homines spernunt: sed Deum ipsum, qui dedit potestatem hominibus, Matth. 9. v. 3.

3. *Beneficentiam præstando.* Communicet is, qui catechizatur in verbo, ei, qui se catechizat, in omnibus bonis, Gal. 6, 6.

III. *Tanquam ingravidinis vindicator irreconciliabilis.* Nonne decem mundati sunt? & novem ubi sunt? Non sunt reperi, qui redirent, ut darent gloriam Deo, nisi hic alienigena?

In hodiernum adhuc diem ingrati animi vitium, in hoc mundo vel maxime familiaris est, nemo gratiam iis refert, quibus re-

ferenda erat: quales sunt Parentes, Præceptores, verbi ministri, Magistratum gerentes. Paucissimi æquo animo perpendunt onus, quod hisce hominibus incumbit.

Sunt, qui parentes in senectute deserunt, à quibus omnem salutem habent, non metuentes vindictam justi Numinis. Sed tanquam blasphemus est, qui derelinquit patrem, & est maledictus à Deo, qui exasperat matrem, Sir. 3. v. 18.

Quæ gratia refertur fidelibus præceptoribus? qui tamen quotidie in pulvere scholastico versantur, & strictissima ratione tenentur: Negligere enim puerum, est vitare virginem, sapiens ille ethnicus ait. Nonne ingravidinis messem metuat?

Quæ gratia præceptoribus? qui pro animabus auditorum vigilant, Heb. 13, 17. nec cessant die ac nocte unumquemque lacrymis monere, Act. 20. v. 31. Odio habent corripientem in porta, & loquentem perfecte abominantur, Amos. 5. v. 10.

Quæ gratia magistratui fideli? Id Moses, Exod. 17. v. 4. Samuel experti sunt, 1. Sam. 12. v. 12. ut non abs re Diogenes dixerit: *Nihil citius senescit quam beneficium.*

Invenias homines, quos si quis portet ad urbem.

Aufoniam, in domiti quæ caput orbis erat:

Nectamen ad portam placide deponat eosdem,

Gratia præteriti nulla laboris erit.

Sed vindex est Dominus de his omnibus, 1. Theff. 4. v. 6. Qui enim reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo ejus, prov. 17. v. 13. Spes ejus tanquam hibernalis glacies tabescet, & disperiet, tanquam aqua supervacua, Sap. 16. v. 29. tan-

dem

dem pœnam & ignominiam inveniet, Prov. 6. v. 3. quando superveniet eis calamitas eorum, & dolores dividet furoris sui Dominus. Tum erunt sicut paleæ ante faciem venti, & sicut quisquilia, quam turbo dispergit, Job. 1. v. 17. 18 Omnes illi qui opera caritatis non exercuerunt, sed ingrati fuerunt & membra Christi non adjuverunt, tum

audient: Esurivi, & non dedistis mihi manducare. Sitivi & non dedistis mihi potum, Matth. 25. v. 41. & seqq.

Avertat id à nobis benignissimum Numen, per Dominum nostrum

Jesum Christum Amen.

\* \* \*

## Dominica XV. post Trinitatis.

*Evangelium Matth. 6. v. 24. — 34.*

EXORDIUM.

**C**um Philistæi in prælio cum Israelitis commisso, arcam Dei cepissent, asportaverunt eam in Azotum, & intulerunt eam in templum Dagon: & statuerunt eum juxta Dagon. *Verum Dagon & arca Dei non convenit inter se.* Cumque surrexissent diluculo Azotii altera die, ecce, Dagon jacebat pronus in terra, ante arcam Domini, & tulerunt Dagon, & restituerunt eum in locum suum. Rursumque mane die altera confurgentes, invenerunt Dagon, & duæ palmæ manuum ejus abscissæ erant super limen: porro Dagon solus truncus remanserat in loco suo. *1. Sam. 5. 1. seqq.*

Hac in re Philistæi imago sunt omnium hypocritarum, & Pseudo-Christianorum, qui arcam Dei & idolum Dagon conjungunt, h. e. lucem & tenebras, Christum & Belial, Deum & Mammona conferentes, utrique servire volunt. Hoc fieri nunquam potest: neque enim dimidium modo cultum Deus sibi vendicat: sed *ex toto corde* ipsi serviendum est, Deuteronom. 6. 5. in justitia & sanctitate coram ipso, Luc. 1. 75.

Inveniuntur homines qui actiones suas mire exornant. Superbiam venditant pro Magnanimitate; *πονηρ, ἢ μωσὺν*, pro discendi cupiditate; Stultitiam pro simplicitate: luxuriam in ædificiis & vestibus, pro munditie & decore; prodigalitem pro liberalitate; avaritiam pro parsimonia: vindictæ cupiditatem pro severitate &c. Sic semper Dagon & arca Dei conjunguntur: sed die novissimo videbimus, quid sit inter justum & impium: & inter servientem Deo, & non servientem ei, Mal. 3. v. ult. Disperdet enim Deus omnia labia dolosa, Psal. 12. v. 4. & consilia cordium manifestabit, 1. Cor. 4. v. 5. Id cogitandum est, ut ita immaculatos nos custodiamus ab hoc seculo, Jac. 1. v. ult. quia amicitia hujus mundi inimicitia est Dei, quicumque ergo voluerit amicus esse seculi hujus, inimicus Dei constituetur. Jac. 4. 4. *9. 2. Cor. 6. v. 14. seqq.*

Hac de re Christus etiam disserit in prælecto Evangelio, inquiens: Nemo potest duobus Dominis servire: Aut enim unum odio habebis, & alterum diliget:

Uu

aut